V B J C
C. K. BIBLIOTHECA UNIVER. JAGELL. CRACOVIENSIS
21819
III | Mag. St. Dr. | P

...mus

Lukini Joannis Antonii: Victimae parentales —

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 852.

VICTIMÆ PARENTALES

Ad Annum Sacerdotij Quinquagesimum,

Perillustris olim & Reverendissimi Domini,

D. VLADISLAI

DE MINSKO

OPACKI

SACRÆ THEOLOGIÆ & V. IVRIS DOCTORIS, ECCLESIÆ CATHEDRALIS CRACOVIENSIS ARCHIDIACONI Koscielecensis Curati, S. R. M. Secretarij.

Ipso die Obitûs, nempe Cõmemorationis Fidelium Defunctorum,

CELEBRATÆ.

Et dum

Meritissimo ejus Nomini

In Ecclesia Cathedrali Cracoviensi

justa Funebria

Magno omnium dolore, persolverentur;

PER

M. IOANNEM ANTONIVM LVKINI,

Philosoph: Doct: & Professorẽ, Contubernij Geloniani Seniorem,

Ad perennem tanti Viri memoriam,

lugubri calamo

RENOVATÆ.

Anno Salutis humanæ, 1702. die VI Mensis Novembris.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

21.819 III

CRACOVIÆ Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S.R.M. Typogr.

Z XXII. 10.



VICTIMÆ PARENTALES.

COnditionis humanæ ea eſt viciſſitudo;
ut omnes, quos Amica vitæ Cælo ſpectante
protulit Lucina,
iuſto DEI Præpotentis effato:
ſemel mori ſtatutum hominibus;
cedant ſemper in victimas morti.
Etenim alternat natura vices,
hinc rerum chariſsima Parens, illinc dira Noverca.
Orientem manè veneratur Solem, & ante crepuſculum
triſtem ejus deſpicit occaſum.
Perfectam in auge ſplendoris Lunam, ſereno adorat vultu,
& mox decreſcentem aſpernatur Præſidem noctis.
Non aliter *Remus cum fratre Quirino*
felix quidem Romanæ Conditor Vrbis;
ſed ſimul infauſtus perennaturi nominis everſor:
quia *fraterno primi maduêre ſanguine muri.*
Vnde labile Vitæ humanæ tempus,
alterno miſeros terrigenas miſcet luſu,
inter ſpiramenta animæ, mortales vivere ſinens.
Ita ſanè!
Omnia volvuntur & revolvuntur, inſtar præcipitis pilæ,
Veſper veſpere truditur, dieſq; funeſto terminatur occaſu.
Veloces anni nubibus inſident
ac incertis equitant luſtra Favonijs.

Cun-

Cuncti denique satorum rabidâ ludimur orbitâ,
quorum cæco agitati impetu,
eheu miserè eludimur!
Vexamur quotidie Parcis minimè parcentibus,
Tragicæ non dubij Actores Scenæ,
in ipso Vitæ mortalis exordio,
Parentalem sævæ Iunoni litaturi victimam.
Sed quid mirum?
unus inquam nascendi modus,
mille lethi inevitabilis terminatur victimis.
Similis auræ vitalis ortus,
dissimilem mortalitatis vendicat censum.
Hinc lege naturæ solutus,
feliciter reddidit pensum Æternitati,
ad Annum Presbyteratûs Quinquagesimum,
Perillustris olim & Reverendissimus Dominus
D. ULADISLAUS
DE MINSKO
O P A C K I,
S. Th: & V. I. Doctor, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis Archidiaconus, Koscielecensis Curatus,
felicior inde: quia secundas in Ecclesia Triumphante,
celebraturus Primitias.
Nimirùm cessit fatis in Victimam,
gratior post funera consurgens hostia Cælo.
Desijt vivere pervigil Militantis Ecclesiæ Argus,
Augustorum in Vita operum Dædalus ipse & Praxiteles,
æternum mansurus in ævum.
Equidem probavit

 Archi-

Architectam Nominis Coronati famam,
a Serenissimo & Invictissimo
VLADISLAO IV.
Poloniarum REGE Potentissimo,
uti ad Fontem, in quo renascimur omnes, Patrino derivatam,
tum rectefactorum conscientiam;
Virtutum Lydius lapis, eruditorum Corona Virorum,
Illustrissimus olim & Reverendissimus
ANDREAS TRZEBICKI
EPISCOPUS CRACOVIENSIS,
DUX SEVERIÆ,
qui parem oneri Archidiaconatûs Sandecensis
adinvenit Atlantem.
Et iam verus in Vinea CHRISTI Athleta,
non Censorinum supercilio Catonem;
sed Patrem Patriæ agens,
errantes a tramite Veri, leniter in Viam Salutis
reducebat oves;
ut unius Pastoris, unum ex stat Ovile.
Nec minor in Exedris Ecclesiasticis Encomiastes,
toties pro Gloria DEI Orator,
quoties Apostolicam animis audientium litabat
salubrioris doctrinæ Victimam,
in solo Ultimi Finis & proximi amore fundatam:
O felix Pastor! Duxq; Christiani gregis!
Saluberrimam instructionem ipso complevit opere;
Apostolicam doctrinam factis consignando.
Profecto addidit Splendorem meritis
Ecclesia Koscielecensis
a primis fundamentis erecta,

quam

quam dùm ligneam accepisset,
magnifica dote
Pastor Vigilantissimus
marmoream reliquit.
Hâc laboris in dies protervi allectus constantiâ,
cinxit Fascia Gentilitiam Crucem,
Viri in Ecclesia DEI Meritissimi,
Illustrissimus olim & Reverendissimus
IOANNES MAŁACHOWSKI,
EPISCOPVS CRACOVIENSIS
DVX SEVERIÆ,
illamq; protinùs Aureo Coronarum adiunxit Ternioni;
ut CRVX, ulteriorum Symbolum laborum,
supra Vavelli fastigium emineret.
Factus tandem CANONICVS CRACOVIENSIS,
PURPURATI SENACULI, PERAUGUSTI CAPITULI,
Augusta Victima,
non in excelso Vavelli vertice,
metam innatæ virtutis statuit?
sed plùs ultra progressus ad Fontes Sapientiæ Castalios.
Noverat quondam Scipionem Carthago,
Achillem Ilium;
approbavit tum temporis Magni Regis Filia, Regum Mater,
Vniversitas Cracoviensis,
dignissimum Theologico fastigio Doctorem,
& Virum Sapientiâ perfectâ immortalem.
Quidni?
Cælestis hæc Vitæ beatioris Magistra,
Omnipotentis pars maxima DEI,
Assistrix & Vicaria Sedium æternarum,

Sacra

Sacra Theologia,
feliciores pro hoc Statu Icaros,
pennis elevatæ mentis, ad ſummi tecta Tonantis evehit,
iam mortales, in ſemideos transformando.
O dulce afflictæ mortalitatis Solamen!
O unicum mentium humanarum delicium!
O inſtabilis præſidium columenq; mundi!
immortalis Sapientiæ Cæleſtis cognitio,
quæ diviniori afflata enthuſiaſmo,
non vano Promethei commento,
miſces Dijs homines!
Itaq; applauſu publico & Solenni Pompa,
Cæleſtis in terris Sacræ Theologiæ proclamatus Doctor,
tantò ab omnibus illuſtrior videbatur,
quantò magis Divinæ Scientiæ, iungebatur Aſtræa Virgo.
Hinc meritò
conſignavit in Vrbe Orbis Principe Vtraq; Signatura
Virtutes eximias Viri doctiſsimi,
ſigillavit annulo Piſcatoris,
devotum Sacræ Themidi pectus,
Romana Sapientia.
Dein Coronato Vertici,
Lauream adiecit Theologicam
Cracia Pallas.
Vidit integerrimum Canonicæ Veritatis Obſervatorem,
in Sacris Roma Conſiſtorijs.
audivit diſputantem publicè ad ſtuporem adſtantium
Metropolis Cracia.
Paucos Orbis adoravit Alcidas,
monſtra vitiorum Lernæa triumphantes,
Tibi Vir doctiſsime

aſsidui

aſsidui ex hoſte ignorantiæ,
tam in exoticis quàm Patrijs laribus triumphi.
Sed quàm pulchra gradatione,
à caſtris ſanctioris Minervæ,
ad pacifica Exercituum Domini proceſſerit Caſtra,
nemini paradoxum ſit.
Scilicet cùm ibi ſine cæde, ſine ſangvine,
Bellator extiterit glorioſus;
hîc ad Aram incruenti Sacrificij,
gratiſsimam victimam ſeipſum DEO obtulit.
Iam ergo non in caſtris Marij aut Syllæ;
verùm Regis Regũ & Domini dominãtium militãs,
quanta Virtute meruerit ſtipendia,
ſecunda in Eccleſia DEI,
Archidiaconatûs Cracovienſis teſtatur dignitas,
quem, Confratrum unanime votum,
admovit tam excelſo faſtigio:
nam pares tanto oneri conſpexit lacertos.
Alijs reſpectus & nobilitas generis aptat gradum,
quo ad Sacram Fortunæ Aram aſcendere volunt.
Illi in comitatu Meritorum,
auxiliabatur integritas morum, vivax agendi dexteritas,
expedita prudentiæ vis, labor fatigari neſcius,
mensq; ex literis culta quidem & elegans;
ſed maſcula ſimul, potens ſui,
nec redundans ad pompam.
Sic omnes,
Illum velut pretioſum Coronarum ſuarũ Vnionem
in Sacrario ac penetralibus cordium fovebant.
Singuli tanquam effigiem boni Viri,
exemplarq; virtutum aut imitati, aut mirati.
Cuncti deniq; ac ſi columbam felle carentem, amplexi.

Humilis Viri ſapientis de ſeipſo ſenſus,
ſtupenda manſuetudo, comitas,
exemplaris vivendi norma,
quadam magnetricâ vi, omnium corda ad ſe trahebat.
Summis quibusvis negotiis tractandis ex aſſe par,
ſub nulla ingruentium rerum mole fatiſcebat.
Romanis & Diœceſanis Commiſſionibus,
adCauſas magnæ importãtiæ,dat9 Arbiter &Iudex,
æquitatem publicè exploratam reliquit,
ſapiens in obſervandis Canonibus Areopagita.
Iam prætereo,
rigoroſum quò ad Sacros Ordines capeſſendos examen?
Omitto ſerias in revidendis Paræciis Viſitationes?
loquantur fusè incomparabilem ſapientiam & Zelum,
Viri æternâ memoriâ digni,
correctiva Decreta.
En profectò ſatisfecit Perſonæ,
quam à tribus circiter luſtris gloriosè egit.
Satisfecit menſuræ nominis & virtutis,
quam laboriosè implevit.
Satisfecit gloriæ,
pro qua totâ vitâ ſtrenuè laboravit.
Triumphet ergo in animis omnium,
factis & meritis,
etiam poſt fata ſuperſtes.
Sed quomodo?
nonne proſtratus ceſsit in prædam ſævæ Frynni?
nonne victus, fatum effugit ineluctabile?
ah ferales Novembris ferias,
& temerarium Martis rabidi auſum!
qui tanta annorum ſerie,
indefeſſum Eccleſiæ DEI Atlantem,

in ſe-

in ſepulchrales inieciſtis Vmbras!
ah infauſtum Plenilunium!
pleno dolore & amaro myrrhæ faſciculo pectora replens,
fel & abſynthium ori noſtro propinans.

Attamen

ſiſte gradum gemebunda penna!
non ſuccumbit languida manus ferali Victimæ,
etiamſi decedentis vigor ætatis, tempori ſuccumbat,
quia nihil tempori debet,
quod æternitatis vaſta cogitatio vegetat.
Tremula ſenibus dextera ineſt,
ſed non animi virtus;
ſtat hæc pro ſangvine, quæ de ſangvine Cælitûm venit,
& quò minus ſpirituum vitalium hábet,
eò vivacius cum ijs ſpirat,
qui ſupra vires naturæ ſurrexêre.

Ita eſt:

non moritur, qui totâ vitâ benè mori diſcit;
nec terret ſapientem mors, etiamſi moritur, vivit.

Victima viva eſto,
ante Tribunal Viventis in ſæcula DEI,
Magne, cui parentamus & Doctor & Sacerdos,
Perilluſtris olim & Reverendiſſime Domine,

D. VLADISLAE

DE MINSKO

O P A C K I,

ARCHIDIACONE CRACOVIENSIS, &c.
Chariſsime etiam poſt fata Avuncule,
non degeneri ſapientiâ, pietate, modeſtiâ,
Zelo religionis, amore boni publici,

Sororino unicè dilecto

Illustrissimo & Reverendissimo Domino,

D. CASIMIRO

à ŁVBNA

ŁVBIENSKI,

EPISCOPO HERACLEENSI, NOMINATO CHEŁMENSI, SVFFRAGANEO, CANONICO, Sede Vacante, Episcopatûs Cracoviensis ac Ducatûs Severiensis GENERALI ADMINISTRATORI, ut Pastorale Pedum, quo nunc Diœcesim Cracoviensem feliciter gubernat, pro Atlanticis in Ecclesia DEI laboribus, Sede plena assurgat.

Et dum ultimum à tumulo Tibi Magne Antistes ingeminat Vale: pares ad Altare DEI, pro peccatis animæ, expostulat gratitudinis hostias.

Ad tantum victuræ gloriæ & famæ compendium, assurgunt Amplissima Illustrissimarum Familiarum Decora vinculis Aviti Sangvinis arctissimè conjuncta.

EXCELLENTISSIMA DOMVS

MARCHIONIS GONZAGÆ

MYSZKOWSCII,

quam

DEVS

DEVS Ter Optimus Maximus
æternùm conſervet,
in Republica Polona,
ampliſsimis cumulandam honoribus.
Ferunt perennaturæ memoriæ vectigales cenſus,
ad ſepulchrale Marmor,
ſummis pares titulis,
Geminæ Proſapiæ
DĘMBINSCIORVM
&
DĄBSCIORVM,
pro candore intaminati affectûs,
in Sede Beatorum,
Æternam precantes ſine fine
Requiem.
Vobis tandem
Patres Vavelliani Capitolij Conſcripti,
Illuſtriſsimi Perilluſtres & Reverendiſsimi Domini
Perauguſti Capituli Cracovienſis
Præſides Digniſsimi,
Quos,
ſicut arctior amicitia coniunxerat Viventi;
ita magis dolor acerbus,
lancinat penetralia cordis:
pro vltimo obſequio,
immortales Supremo Tonanti,
dans manibus plenis Victimas;
quatenus

Ternio Coronarum Aurearum,
in perpetuas fulgeat æternitates.
Post hæc
ad funestum Prælati tumulum,
accedit Mœstus Diœcesis Suæ Clerus,
veniunt cum fletu & lachrymis
ad Patronum Clientes,
properant mærore affecti
egeni ad Patrem,
devotis incessanter fatigantes suspiriis
Majestatem Divinam;
ut hic,
qui in conspectu Omnipotentis DEI,
iuxta tenorem præconcepti stante vita elogij:
Cinis, pulvis, & nihil;
sit Ipsius
in Regione Vivorum,
VICTIMA
post fata
IMMORTALIS.



BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE
J. XIX. 26.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0021938